

Handwritten in pencil:
A large, stylized initial 'A' followed by a long horizontal stroke and the word 'Auch' written below it.

Handwritten in blue ink:
A large, stylized initial 'A' followed by a long horizontal stroke and the word 'Auch' written below it. Below this, the number '27.' is written in brown ink.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24



Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA

GEMINAM
TENTATIONIS
FACIEM

depingens

*Quam
in Alma Salana*

PRAESIDE

DN. VALENTINO VELTHEMIO

SS. THEOL. DOCTORE, EIVSDEMQUE
PROFESSORE PVBL. ORDINARIO

*Domino, Patrono, Praeceptore ac Hospite suo
summa cum obseruantia colendo*

A. D. XXVII IVNII

cl^o Ioc XCI

H. L. Q. C.

publice tuebitur

FRIDERICVS VVEICHMANNVS

Adelibia Hannoueranus

AVCTOR.

LITTERIS S. A. MVLLERI.



ILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS
DOMINIS
DN. ALBRECHTO ERNESTO
ET
DN. FRIDERICO VLRICO
FRATRIBVS GERMANIS
AB ADELIBSEN
DOMINIS ET SATRAPIS
IN ADELIBSEN
ETC.
DVCALIS AERARII
COMMISSARIIS
ET
CONSILIARIO PROVINCIALI

Patria mea Patribus

*Dominis & Patronis meis beneficentissimis
ac summe venerandis*

isthoc specimen Academicum
humillimæ deuotionis testandæ causa
submissè consecro

FRIDERICVS VVEICHMANNVS
Adelibsiensis.





I. N. I.

§. 1.



Vlla vitæ est humanæ pars, neque in otio neque in negotio, neque si colas solitudinem, neque si in celebritate verferis, quæ tentatione vacet. id quod plane docent breues istæ Patrum *γνώμας*, Augustini 2. de bon. perseu. c. 13. *Hæc vita tota est tentatio super terram*; & Bernardi serm. 51. in Pl. Qui habitat: *Tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immerito tota ipsa tentatio debeat appellari.* Quorum vterque, si recte coniectamus, Iobi illud respexerunt dictum cap. VII, v. 1. *Nonne militia homini super terram?* vbi Gregorius & alii legunt *tentatio*. Vnde simul intelligitur, quam & utilis & necessaria homini christiano sit tentationis meditatio: immo quod omnis eiusdem vita nihil esse nisi tentationis meditatio debeat. Et quamuis omnino certum, quo specialior est propiusque attingit usum & christianam in vita praxin eiusmodi commentatio, hoc eandem etiam esse fructuosiore & salutarem magis; tamen nec generalem huius rei doctrinam, quæ per se in sola *γνώσις* consistit, omni carere usu, facile hinc potest cognosci, quod hac probe percepta, cetera multo rectius intelligantur.

§. 2. Non igitur inutile prorsus erit, quod diuina ope implorata, exponere argumentum instituumus, acturi nempe de *tentatione in genere*. Vbi ista in primis capita nos habebunt sollicitos: quid proprie vel alias vel ex usu Scripturæ & Theologiæ proprio, sit tentatio: quibus ea ex iisdem fontibus proprie tribuatur: quibus vero minus.

§. 3. Ordinem adeo statim inuestigare primam & nativam vocis tentatio significationem; qua lucide simul adparebit, cum, quid *tentare* sit ex natura sua, fuerit manifestum. Huius autem verbi (par est ratio, quantum ad significationem, & Græci *πειράζω*, & E-

A 2

& E-

& Ebraei תנס) ex omnium sententia, siue illud a teneo, siue a tendo, tanquam frequentatiuum deducant, prima & generalis & simplex notio est, probare, explorare, experiri, inquirere, facere periculum, experimentum capere. Hinc Thomas & alii hanc definitionem tradunt: *Tentare est experimentum de aliquo sumere, ut aliquid sciatur.* Petrus quidem Rauanellus Bibliothecæ sacrae siue Thesauri Scripturæ canonicae parte II, sub voce Tentare, duplicem illi in genere eamque diuersam significationem videtur assignare, cum ait: *Tentare est vox, qua in genere considerata ponitur pro conari seu studere aliquid efficere, Act. IX, 26. XXIV, 6. XXVI, 21. vel, pro explorare seu experiri, Deut. XXIX, 56.* attamen prima, quam affert, talis est, ut quam optime stare cum secunda possit: immo Scripturæ citata loca hanc alteram singula sponte admittunt. Itaque secundum hanc notionem primam considerata vox *tentatio* in se & ex natura sua nudum experiendi & probandi actum complectetur, nihilque erit aliud nisi illa actio, qua quis experitur, quid sciat, aut velit, aut possit is qui tentatur. qualis ferme Aquinatis definitio est quam habet 2. 2. qu. 97. art. 10. *experimenti sumtio de eo quod tentatur, an sciat, vel velit, vel possit quod tentatione ab eo exquiritur.*

§. 4. Videamus iam, vtrum in sacris litteris dicta significatio locum habeat, quando ibi vel Deus hominem, vel Diabolus hominem, vel homo Deum, vel homo hominem, vel homo seipsum tentare aut tentasse dicitur. Tot enim sunt tentationum siue species siue genera siue modi, quorum illæ mentionem expresse faciunt. Nam quod ad tentationes carnis & mundi seu rerum mundi, attinet, earum quidem vtraque satis frequenter alias memoratur; at in Scriptura vix semel alteram diserte legimus: ut deinceps liquebit, quando ad eas peruenerimus.

§. 5. Deum in tentando ad experientiam respicere, siue efficiens vere, siue etiam permittens solum fuerit, tentationis, non vno in loco Scriptura docet. Ita Deut. IIX, 2. ait Moyses ad populum: *Deduxit te Deus quadraginta annos per desertum, ut affligeret & tentaret te: ut sciret quid esset in animo tuo, vtrum obseruaturus esses mandata eius nec ne.* Et Gen. XXII, postquam Dominus tentarat Abrahamum, confitetur vel ipse vel angelus pro ipso vers. 12. *Ecce nunc cognoui, quod timeas Dominum.* Vtrinque auctori Deo tenta-

tentatio debetur : vtrunque confirmatur id, quod volumus, Sed & permittendo solum tentantem Deum eodem intendere, pari numero testimoniorum demonstrabimus. Sic Deut. XIII, 1. seqq. Moses diuino iussu ad populum: *Cum surrexit in medio tui propheta, aut somniorum fictor, dicens: Sequamur Deos alienos &c. non auscultabis ipsi, quia tentat vos Iehouab Deus vester, ad cognoscendum, an diligatis eum &c.* Deinde huc referendum, quod de Rege Ezechia legitur 2. Par. XXXII, 31. quod agentem ipsum *cum oratoribus principum Babylonia, qui miserant ad eum, vt inquirerent de prodigio illo quod fuerat in terra, dereliquerit Deus, tentando eum, vt experiretur quidquid erat ei in animo.* De Deo res satis est perspicua: expresse enim dicitur tentare, vt sciat, vt cognoscat, vt experiatur. quam heic peculiare quiddam obseruandum, vt postea suo loco notabimus.

§. 6. Diaboli tentantis inquirendi studium, Christi ostendit tentatio Matth. IV. Quam insidiosum ibi egit exploratorem! Idem planissime indicatur 1. Petr. V, 8. gemino verbo *παρρησιαζει εν τω, obambulat, quarens quem deuoret.* Etenim, vt explorator peritissimus est, sic in omni tentatione id primum operam dat, vt siue certam siue coniecturalem notitiam de homine acquirat, qualis sit, quid cogitet, quod tendat, quæ sint spirituales eius vires, qui defectus, ac in primis, ad quæ vitia propensius inclinat. *Omnium ventilat curas,* ait Leo serm. de Circum. *discutit consuetudines, animos scrutatur, & ibi querit causas nocendi, vbi aliquem viderit studiosius occupari.*

§. 7. Hominem quoque experiundi animo tentare, probatum perfacile est: siue is in Deum, siue in hominem alium, siue in se ipsum, tentatione feratur sua. Deum tentat homo, vt cognoscat, quod in presenti aut nescit prorsus, aut minus nouit; idque vel ex fide, vel ex infidelitate. De priori modo exstat mandatum Dei Pl. XXXIV, 8. *Gustate & videte quam suavis sit Dominus.* Nonne hoc idem est ac si diceretur, Probate & experimini? Item Mal. III, 20. *Afferte omnes decimas in horreum meum, vt sit cibus in domo mea; & probate me iam in hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis catarractas cæli, & effuderero vobis benedictionem vsque ad abundantiam.* Satis heic aperte Deus ad tentandum atque explorandum vocat. Imperfecta autem videtur esse loquutio; sensusq; plenus ex quorundam sententia est hic: Probate

ne super hoc, ut cognoscatis, ut experiamini, an sciam benefacere obseruantibus mandata mea, si non aperuero vobis cataractas coeli. Sic Achaz Esa. VII, 12. 13. iubebatur signum a Domino postulare tanquam medium confirmandi fidem suam: quanquam is licitam hanc tentationem pro illicita habebat. Nam *iussus ut pteret, obedientia debuit explere praeceptum: praesertim cum Gedeon & Manoah signum petierint & acceperint*; quae Hieronymi sunt verba, simul duplex aliud huc spectans exemplum subministrantia.

§. 8. Hominis in Deum tentatio, ea quae non fidei sed infidelitatis probatio est, non minus in capiendis experimentis consistit. Probat hoc Israelitarum in deserto variae ac pene innumeræ tentationes. Ut duas tantum referamus, Ex. XVII, 7. *tentaueunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in medio nostrum, annon?* Item Num. XI, 4. *tentaueunt Deum in corde suo: petendo cibum animæ suæ. Et loquuti erant contra Deum dicentes: Numquid parare poterit mensam in deserto?* ut testatur Ps. LXXIIX, v. 18. & 19. Illic explorabant, an Deus ex Aegypto eos eduxerit, simulque an possit ac velit in tam arido loco tantæ multitudini necessariam aquæ suppeditare copiam: heic vero de carnibus dandis voluntatem & potentiam Dei periclitabantur. Pertinet huc quoque Pseudoapostolorum ille impius conatus Act. XV, 10. Namque is *continebat etiam eam tentationem; ut quasi experirentur, an Deus posset tali onere oneratos & veluti laqueo irretitos, seruare.* Quod Flacii iudicium est in clauæ Scripturæ sacrae, sub voce *Tento*.

§. 9. Homine alium tentante hominem, siue bono animo id fiat, siue malo, vtrinque isthoc intenditur, ut scientia, aut virtus, aut institutum voluntasque alterius exploretur. Aperte ac palam id faciebat Simson Iud. XIV, Philistæis problema tentatiuum proponens. Item, regina Saba, quæ I. Reg. X, 1. dicitur *venisse, ut tentaret Salomonem in enigmatibus*, hoc est, ut periculum sapientiae eius faceret. At Pharisei Iudæique alii nunc aperte, nunc occulte ac insidiosè, sæpius tentarunt Christum, nunc signum sibi exhiberi petendo; sicut Marc. IX, 11. *querunt ab eo signum de caelo, tentantes eum*, hoc est, experimentum potentiae eius quærentes: nunc alio modo. Ipse optimus Seruator noster Io. VI, 6. Philippum de emendis panibus interrogans, *tentauiit eum, quid existimaret.*

§. 10. Se ipsum homo cum tentat, non alio id facit consilio, quam

quam ut ad certam sui notitiam perveniat. Loquimur de laudabili illa tentatione sui, ad quam Paulus cohortatur 1. Cor. XI, 28. *Probet siue exploret homo se ipsum.* Item 2. Cor. XIII, 5. *ἑαυτοὺς πειράζετε, Vos ipsos tentate, an sitis in fide; ἑαυτοὺς δοκιμάζετε, vos ipsos explorate: annon cognoscitis vosmetipsos &c.* In priori loco habetur verbum *δοκιμάζειν*, quod licet non plane idem sit cum altero *πειράζειν*, tamen in presenti negotio æquivalere, posterior locus indicat, cum utrumque coniungit.

§. II. Quorsum vero ista? inquires, aut quo hæc tendunt, quibus parum videbatur opus? Equidem non alio sunt allata fine, quam ut oculis pariter atque animo cernatur, vnam eandemque in singulis modis esse tentationis rationem iuxta primam & generalem notionem: ut, siue homo se ipsum, siue homo hominem, siue homo Deum, siue Diabolus hominem, siue denique Deus hominem tentare dicatur; ad probandi atque experiundi intentionem id perpetuo reuocetur. Notanter dicimus *intentionem experiundi.* Namque ubi abest intentio, ibi proprie nec vlla erit exploratio, nulla tentatio. Quod ipsum natura & proprietates omnium istarum vocum, quæ huius loci sunt, facile ostendit.

§. 12. Iam si quis dicat, tentari quoque hominem a se ipso per insitam concupiscentiam, iuxta illud Iacobi I, 14. *Vnusquisque tentatur, dum a propria cupiditate abstrahitur;* & simul roget, cur non æque de hac carnis tentatione, ac de reliquis tentationum generibus supra e Scripturis mentionem fecerimus: ad hoc alterum, primum, respondemus, neque alibi sacras litteras expresse tentantem carnem nominare, neque etiam adeo plane adparere, an Iacobus adducto loco vocem tentare concupiscentiæ tribuat, quandoquidem is aperte haud adserit, quemque tentari a sua concupiscentia, aut, concupiscentiam cuiusque tentare ipsum, sed tantum dicit, *unumquemque tentari, abstractum & illectum a sua concupiscentia*: atque ita homini solum passivam quam vocant, tentationem, eum heic videri adscribere, sicque relinqui verum, quod supra §. 4. dictum a nobis fuit, tentationem carnis vix semel in Scriptura diserte legi: quanquam rem ipsam tum e citato Iacobi, tum ex aliis Scripturæ dictis probari posse non inficiamur. Deinde vero, cum tentatio carnis ipso hoc nomine in Theologicis scholis frequentissime occurrat, facillimum iudicatu est, conueniat an repugnet

pugnet ei commonstrata hactenus vocis tentare significatio. Nam statim patet, ad carnem tentantis nomen in notione ista minime accommodari posse, si attendamus, quod secundum eam, intentio explorandi naturam tentationis constituat, ut iam superiori §. fuit monitū, caro autē, cum tentat, nullam capiendi experimenti habeat intentionem. Itaque hinc sponte efficitur, eam nisi improprie, in tentantium numero poni haud oportere. Atque hanc causam nonnulli censent, quod rarissima huius tentationis mentio in Scripturis fiat, & explicite quidem non nisi semel, nimirum Iacobi allegato loco. de quo nostram sententiam paulo ante in hoc §. aperuimus.

§. 13. Idem est de mundo sentiendum, quatenus eo nomine, deliciae & commoda & vanitates aliaque res mundi intelliguntur. Quae omnia itidem non ex intentione, adeoque haud proprie tentant. Atque ob eandem rationem arbitrantur aliqui nusquam in sacro codice tentationem mundi diserte expressam reperiri, sed tacite tantum, rarius tamen, libindicatam, in primis 1. Ioan. 11, 15. 16. ubi *ea, quae in mundo sunt, diligere* prohibemur; propterea quod inde nascatur *cupido carnis, libido oculorum, & fastus vitae*. Neque autem, cum res mundi tentare dicuntur, a rebus ita personae separantur, quasi non & haec aliquando ad illarum classem referri debeant. quod certe oportet fieri, quotiescunque per hominem quendam ex nulla eius vel directa vel indirecta intentione aliquis tentatur. Quo quidem illud Ambrosii in Ps. CXII, serm. 21. accipiendum est: *Vides inopem iustum, tentaris: vides diuitem iniquum, tentaris: vides sine liberis sanctum, tentaris: vides liberis, honoribus, laudibus secularibus abundantem iniustum, tentaris*. Multo minus dubitari potest, in ipsa cuiusdam hominis persona solere plurima reperiri, quae huc pertineant: qualia Chrysostomus lib. 6. de sacerdotio commemorat: *Oris decor, aiens, & motuum exquisita mollities, & incessus affectatum studium, & vocis confractio, & oculorum & malarum pigmenta, & cinnorum compositiones, & capillitii tinctura, & vestium sumtuosarum auratarumque diuersitas, & gemmarum pulcritudo, & unguentorum fragrantia, & cetera omnia quae muliebri genis affectare solet; talia sunt quae animum commouere possint, nisi is continentia austeritate occalluerit*. Quid alias vniuersim de tentatione mundi iudicandum censeamus, infra aperietur.

§. 14. Quod si vero explicandū distinctius sit, quia non per se & proprie tentant caro & mundus, qua tandem alia ratione id faciant facere dicantur; non necesse quidem est Scholasticorum utamur terminis, quos hac in re adhibere solent, docentes, carnem tentare subiectiue, mundum obiectiue & ostensiue: carnem elicitē & suasorie, mundum occasionaliter: denique vtrumque instrumentaliter; tamen, quia rem ipsam haud obscure, etsi latine minus, declarant, non prorsus illos fastidiamus. Subiectiue tentat caro, quatenus officina tentationum est, in qua finguntur, & ex qua *prodeunt cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae, quae coinquinant hominem*, Matth. XV, 19. Eadem porro tentat instrumentaliter, quatenus etiam machina tentationum est, qua Diabolus sæpe uti solet ad oppugnandum expugnandumque hominem. Ac tandem elicitē & suasorie, quatenus tentationum non officina tantum est aut machina, sed quasi machinator quidam, per modum mouentis & titillantis: est enim peccati fomes, vnde inordinati motus proueniunt, qui voluntatem ad actus illicitos inclinant. Mundus autem primo tentat obiectiue & ostensiue, quia nobis obiecta varia ostendit, quibus ad peccandum trahamur. Deinde occasionaliter, eodem fere sensu, quia materiam atque occasionem tentationum subministrat. Postremo etiam instrumentaliter, quia rebus mundi Satanas tanquam instrumentis vtitur, quibus nos a veritate in errorem, a pietate in peccatum adducat.

§. 15. Nec tamen a ceteris omnibus abesse omnis videtur difficultas. Namque haud leuis primo de tentatione diuina, quam primo loco proposuimus, existit quæstio. Facile enim quis dubitet, an tentanti Deo recte & ex omni parte competat hæc, quam ex natura vocis fluere monstrauimus, significatio. Secundum quam omnino videtur tentatio eum, qui vel alium vel se ipsum, siue verbo siue facto tentat, arguere ignorantem, aut certe dubitantem de illa re, cuius explorandæ gratia tentatoris partes obit. Quod quidem in reliquis fit: at Deo pariter idē adscribere nefas est, qui corda & renes, immo cordis intima nouit & scrutatur: quem nihil latet, quidquid deinceps etiam vel in homine erit, vel ab homine proficiscetur. Quid ergo est, quod tentasse Deus Abrahamum dicitur, ut experiretur, qualis esset eius fides,

B

quæ

quæ foret obedientia, qui fidem ipse indiderat ac fouerat, & conseruatus in posterum erat, quique ad obedientiam & porro largiri gratiam constituerat suam, vtramque etiam iam diu ante penitus atque intime pernorat? Quomodo item Israelitas tentauit Deus, ut cognosceret, quid esset in animo ipsorum, vtrum obseruaturi essent mandata sua necne, an amantes Dei forent ex toto corde? Quomodo regem Ezechiam, ut experiretur quidquid is animo foueret suo? Cum Deus omnia non solum quando sunt aut fiunt, cognitissima habeat, sed & priusquam sint vel fiant, longissime certissimeque prospiciat. Sic eadem illa loca, quæ §. 5. de Deo ex scripturis adduximus, difficultati dant ansam.

§. 16. Sine dubio ipsa hæc causa fuit, quare aliqui Deum etiam, improprie tentare existimauerint, & Scholasticorum nonnulli ad definitionem a Thoma & aliis traditam (quæ iam supra §. 3. fuit prolata) nouam annexerint clausulam. Cum enim dicitur, *Tentare est experimentum de aliquo sumere, ut aliquid sciatur*, additum ab illis est, ut sciatur aliquid *prius incognitum*. Eadem ratione persuasi, Scholasticos sunt alii sequuti plures. Ita Daniel Tilenus in Syntagmate tripartito disputationum Theologicarum, part. I, disp. 38. th. 42. ait: *Tentare proprie est experimentum capere de re incerta*. Et part. II. disp. 51. th. 38. *Deus non nisi figurate dicitur tentare. nam non ipse capit experimentum fidei, & constantie nostræ, quam ab aeterno nouit, & quæ per istam explorationem aliis, adeoque nobis ipsis, magis innotescit*. Pariter Andreas Riuetus in prælectionibus in cap. XX Exodi, siue in explicatione Decalogi, dum verbum ⲧⲟⲩ vers. 20. exponere aggreditur, *Hoc verbum*, inquit, *tribuitur sæpe Deo in Scripturis, sed improprie; nunquam enim Deus tentat aut periculum alicuius rei facit, vel experimentum quaerit ratione sui, quasi aliquid ignoraret, quod postea experientia addisceret*. Vbi tamen obiter notamus, Riueto, cum in Genesin exercitationes conscripsit, videri aliam fuisse mentem. Ibi enim in cap. III, exerc. 19. postquam de tentatione in genere quædam est præfatus, subiicit: *Ex his colligitur, tentationem in propria significatione, siue formaliter consideratam, nihil aliud intendere, præter experientiam, qua de persona aliqua hoc vel illud aut ipsi sciamus aut prodamus*. Igitur ex Riueti sententia, quam quidem tum habuit, cum in Genesios dicto capite explicando fuit occupatus, is etiam proprie tentat, qui explorat aliquid de

per-

persona quapiam, si non ut ipse sciat, tamen ut aliis prodat. Hoc vero Deus agit, cum tentat. id quod fateri debet Riuetus, ac profitetur etiam in commentariis in Exodum, quando ad cap. XV, vers. 25. scribit: *Quomodo Deus tentet, alias dictum est, -- non ut ipse discat quid sit in homine, sed ut alias prodat, ipsis etiam tentatis & probatis; qui sepe, ante experimentum, se ipsos non norunt.* At quicquid sit de eo an Riuetus aliter antea statuerit; nos ea potissimum attendimus, quæ postremo scripsit, nempe in expositione Decalogi: ubi, Deum proprie tentare, aperte negat.

§. 17. Neque vero desunt etiam, qui diuersum sentiant. Sane Rauanellus supra allegato libro locoque, Deo & carni æque ac Diabolo & homini, proprie dicit tribui tentationem, & improprie saltem accipi tum, cum vel pro causa sua ponatur (obiecto, puta) nimirum cruce & calamitatibus, per quas Deus tentat, ut Deut. VII, 18. 19. ac in specie pro persecutione, ut Apoc. III, 10. vel secundo pro effectu, nempe lapsu in peccatum, aut peccato ipso, in quod per tentationem prauam homo incidit, ut 1. Cor X, 13. (Quibus tertia potest addi significatio impropria: nam & pro efficiente causa solet adhiberi; ut apud Vincentium Lirinensem, qui in commonitorio non solum de impio Photino & Nestorio, sed de vitæ sanctioris viris, Origene & Tertulliano, sapius prædicat, maximas eos fuisse in ecclesia Christi tentationes. Vid. cap. XV. & XXIII.)

§. 18. Bene tamen est, quod & Rauanellus & reliqui vel concedunt vel concedere debent, vocem tentare in genere significare idem quod explorare seu experiri. Sic & Otho Casmannus in Schola Tentationum, pag. 1. tentationem in genere, quatenus sub ea etiam Dei & carnis & mundi tentationes comprehendit, definit per *explorationem alicuius sibi vel aliis incogniti &c.* Igitur natura tentationis erit eadem cum natura explorationis. Iam haud facile quisquam negauerit, ideo proprie explorare aliquem, ut vel sciat, quod nescit plane, vel, quod minus nouit, cognoscat magis; atque adeo cuiusuis explorationis finem proximum atque immediatum esse rei vel ignotæ vel non satis notæ, idque ipsi quidem exploranti, notitiam. Si hinc de tentatione feratur iudicium, is demum propriè tentare dicendus est, qui rei sibi incertæ aut dubiæ experimentum quærit. Quare nisi agnoscere

velimus, Deum per tentationem aliquid detegere quod prius ignorauerat; quem errorem in Socino & Socini discipulis damnamus, Deum non nisi ex effectu nosse hominum in fide perseverantiam docentibus; contra Dei naturam, & planissima Scripturæ testimonia; fatendum omnino est, proprie dictam tentationem minime Deo adscribi posse. Nec est, quod dicatur, finem tentationis diuinæ itidem esse notitiam, quamuis ea non ad ipsum referatur Deum, sed partim ad eos, qui tentantur, partim ad alios. Namque, ut ostendimus, natura tentationis requirit, ut finis ille ipsum tentantem respiciat.

§. 19. Hoc iam posito, quod Deus tentet improprie, eo quod nihil sit ipsi incognitum, nihil dubium, de quo per tentationem cognoscere opus habeat; si quis tamen obiiciat, Deum etiam tentare, ut notitiam acquirat alicuius rei, quam nesciebat, idque confirmare conetur ex illis Scripturæ locis, quæ supra §. 5. recensuimus, nempe Gen. XXII, 12. Deut. XXXII, 2. XXXIII, 31. & similibus aliis, ubi Deus tentasse dicitur, ut sciret, ut cognosceret, ut experiretur: respondemus cum Patribus Ecclesiæ, quibus scire illud & cognoscere Dei idem est ac scire facere, cognoscendum dare, idque duobus modis, vel nostri vel aliorum respectu. Nam Deus cum tentat hominem, ipsum & sibi prodere & aliis facere cognitum intendit. Sic de Abrahamo se scire dicit, quia per hoc effecit, ut & Abrahamus ipse & ceteri omnes cognoscerent. Ut vero quorundam Patrum adferamus verba, Gregorius Mor. l. 8. c. 27. ait, *Scire Dei est nostram obedientiam scire nos facere.* Hieronymus in Iob. c. 31. *Tentat Deus non ut ipse sciat, sed ut alios scire faciat.* Riuetus in explicatione Decalogi, ad Ex. XX, 20. fatetur quidem, non male interpretari eos, qui sic interpretentur: potius autem agnoscendam in illis locis esse ἀνθρώπων ἀπειραν, qua dicitur Deus experientiam sumere, cum ea facit per quæ homines solent experiri an sit verum id de quo alias dubitant. Idem tamen in Gen. XXII, exerc. 105. priorem tantum responsionem vrget, his vsus verbis: *Deus probat, quia facit ut aliis probetur; Deus cognoscit, quia facit ut alii cognoscant, quod antea latebat, aut non satis erat manifestum. Quinam autem sunt alii? nempe & illi ipsi qui tentantur, & quibus eorum exempla proponuntur.*

§. 20. Quod hactenus de Deo diximus, suo item modo in hominem

minem conuenit, quoties ille hominem alium tentat, non ideo, vt ipse cognoscat aliquid de eo, quod iam satis ipsi est cognitum, sed vt eundem vel sibi notum reddat vel coram aliis detegat. Ac referri huc potest, quando Seruator noster toties in suorum discipulorum profectus inquisiuit, & speciatim Philippum Io. VI. de emendis panibus tentauit. Ceterum de homine tentante aliquid occurrit, quod obiici nobis adhuc potest. Nempe requisuimus supra §. u. vt is, qui proprie tentare putandus sit, intentionem habere debeat tentandi. Diximus itidem de homine §. 7. eum experiendi animo tentare, in quemcunque tentatione feratur sua. At vero sæpe videtur euenire, vt quando homo e. gr. Deum tentat, nullo animo, nulla intentione experiendi id faciat; quam tentationem, implicitam & interpretatiuam adpellare solent; cum aliquid homo facit vel dicit, nihil cogitans quidquam de experientia diuinæ cuiusdam perfectionis sumenda, adeoque nullam earum explorare intendens, quamuis id quod dicit vel facit, ad aliud utile non sit, quam vt Dei aliqua perfectio probetur. Verum facile hunc nodum dissoluet, quisquis tenuerit, intentionem indirectam sufficere ad hoc, vt quis ex intentione fecisse dici possit; atque illam omnino in præsentī casu adesse: vbi homo non quidem intendit (directe) Dei vel scientiam vel voluntatem vel potestatem explorare, tamen intendit aliquid, quod nullum alium ordinem ad aliud quid habet, nisi ad periculum vnius aut plurium eiusmodi perfectionum Dei faciendum. Hoc autem est indirecte intendere. Obiter addimus: quia sæpe fit, vt in homine nulla tentandi neque directa neque indirecta insit intentio, & tamen per eum alius tentetur; quid tum sentiendum sit, colligi partim ex iis posse, quæ §. 13. docuimus, partim ex iis, quæ infra notabuntur. Nempe in tali casu vel Diabolus isto homine tanquam instrumento tentationis vtitur, vel caro eius, qui tentatur, aut etiam ipse qui tentatur, ab altero, ex illius dictis, factis &c. occasionem tentandi arripit. Vnde porro iudicari potest, quibus & quomodo sit tentatio tribuenda, si illud, quod diximus, vsu eueniat.

§. 21. Nunc ergo demum apparet plenius, quid iuxta primam & generalem vocis notionem sit proprie dicta tentatio. Petrus Martyr Locorum Communium Theologicorum tomo I, Loco XV, de pœnitentia Dei & tentatione, hanc definitionem tradit: *Tentatio est ex-*

ploratio ad eliciendam ignota rei notitiam. Quæ ut non tantum perspicua magis, sed & perfectior euadat, nonnulla hoc loco monebimus. Primo, cum tentatio non in qualemcunque aut potius quoquo modo acquisitam notitiam tanquam finem proximum intendatur, sed eam solum, quæ experimentalis audire solet, siue quæ experimentis acquiritur, non vero talem ad quam per rationes & causas rei peruenitur; adiacere poterit illa vox *experimentalis*. Aut si cui magis placeat, ad eandem rem exprimendam, voci exploratio annectere vocabulum *practica*; id forsitan haud fiet incommode. Nam inde notitia vocatur experimentalis, quia ad eam practica exploratione, e. gr. quæstionibus & responsionibus, iniuncto mandato atque eius executione, itemque per alia experimentorum genera, siue verbo res agatur, siue facto aliquo, peruenitur aut peruentum fuit. Adhæc in tentatione sæpe adhibita iam sunt experimenta, siue explorandi media, cessante adhuc quæsitâ notitia, ac vel plane non obtinenda. Porro notitia heic intelligitur tam coniecturalis, quam certa, tam probabilis quam indubitata. Per rem ignotam res ipsi tentanti ignota, & quidem tum prorsus ignota, tum non satis nota significatur. Estque illa res, quæ per tentationem exploratur, alterius vel scientia aut prudentia, vel voluntas, fides, institutum, vel denique potestas, indoles, virtus. Quo & in Thomæ supra sub finem §. 3. allata definitione respiciunt illa verba, *an sciat, velit, possit*. Ceterum si quem offendat, quod tradita definitio, tentationis finem bis in se videatur complecti, semel in voce exploratio, atque iterum in verbis reliquis: illic implicite (vid. §. 18.) heic explicite; facile id euitari potest hoc modo: *Tentatio est actio, qua quis ignota sibi rei experimentalem notitiam elicere siue in se producere intendit.*

§. 22. Quod si alia desideretur siue definitio siue descriptio, quæ omnem in se tentationem, impropriam æque ac propriam comprehendat, adeoque non solum Diabolo atque homini, sed etiam Deo & carni & mundo possit accommodari, aut saltem isto fine sit conficta, vnam alteramque talem producemus, ut, quæ videatur melior, queat eligi. Vnam suppeditabit nobis Richardus Holdsvorthus, quam is in prælectionibus Theologicis, & quidem lectionum parte II, lect. XII, habet; estque hæc: *Tentare est experimentalem notitiam alicuius rei in se vel in alio causare; siue principaliter & primo, siue occasionaliter & aduentitie.* Alteram a Riueto mutuabimur, qui eam in Gen. III, ex 29. latinus

tinius sic effert : *Tentare est experimentalem, quam vocant, notitiam alicuius in se vel in alio producere, vel directe, vel per occasionem.* Ex quibus & tentare definitionibus in proclivi est quandam tentationis formare descriptionem, quæ istorum mentem exprimat. De notitia, de voce experimentalis, item de re, quæ tentando inquiritur, præcedente §. exposuimus. Quod autem dicunt *in se vel in alio*, ibi finium diuersitatem respiciunt. Nam illud *in alio* est propter Deum, qui nullam in se nouam gignit notitiam, sed vel in illo quem tentat, vel in aliis qui possunt animaduertere. Vid. §. 19. *In se* dicitur propter hominem & Diabolum, quorum vterque ideo tentant, vel vt sciant vel vt magis sciant. Denique ista clausula attexta, *sive principaliter, sive per occasionem*, tentantium indicat discrimen: quia *caro & mundus experimenta de humana dispositione mentis subministrant & excitant, non ex intentione & efficienter, sed materialiter & manifestatiue; at vero Deus & homo & Satanas in suo quisque genere ex intentione experiri dicuntur, atque per se sunt causa huius vel illius tentationis.* Quæ Holdsvorthi verba sunt citato loco. Alias de tentatione mundi, si accurate iudicare velimus, dicendum forte, eam re ipsa vel Diaboli vel carnis esse tentationem. Res enim mundi, siue sint iucundæ, vt diuitiæ, potentia, honores, laus, fama, cibus & potus, forma mulieris, aliæque mundi deliciae; siue sint molestæ, vt paupertas, fames, contemptus, probra, persecutiones, morbus, mors, atque id genus aliæ; istæ inquam res mundi, cum iis tentari dicimur, laquei fiunt ac sunt vel ex nequitia nostra, dum nempe caro *occasionem sumit ex talibus per se bonis aut non malis, & inde vel praua concipit desideria, vel in affectus & perturbationes vitiosas rapitur;* vt Riuetus loquitur in Gen. III, exerc. 29. vel ex Diaboli astu, quando iis tanquam organis vtitur, vt nos a tramite veritatis aut pietatis deducat. (Immo vtroque modo fieri simul potest.) Iam si prius fiat, effectus mali consequentes referendi omnino ad tentationem carnis sunt, eritque adeo totus actus nihil aliud quam carnis tentatio. Si posterius accadat, multo minus dubitationem habet, quin sit tentatio Satanae. (Quanquam alii, cum fiat illud, duplicem, & carnis & mundi; cum hoc, itidem geminam, & Diaboli & mundi, tentationem statuunt.) Quod ad prius attinet, idem sentire videtur Riuetus paulo ante allegato loco, cum ait: *Quæ (tentatio) a mundo fit, quatenus distinguitur ab ea quæ fit a carne, id est, a concupiscentia,*
est

est ea sola, qua quis a malis & impiis hominibus sollicitatur &c. Nam quia nominat tentationem mundi, quatenus distinguitur a tentatione carnis, videtur equidem alteram mundi tentationem a tentatione carnis haud discernere. Ceterum quod ad definitiones illas Holdsvorthi & Riueti attinet, nolimus inquirere, vtrum in iis vel desit aliquid vel corrigi debeat, si pro accuratis habendæ sint; etiamsi nulli dubitemus, quin pene vtroque foret opus. Nobis sufficiat, præcedente §. qualicumque ratione primam & nativam vocis significationem explicasse.

§. 23. Atque in illa, quam diximus, notione prima si acquiescimus, nihil est in tentationis voce obliqui, nihil culpabile: sic enim nuda est experimentatio (qua voce Parisiensis utitur) in se nec bona nec mala, quæque demum pro habitu & dispositione tentantis aut bona aut mala esse potest. Ita dicitur nunc sensu bono de Deo, qui pie & iuste probat: nunc sensu malo de Satana; nam hic prave & flagitiose probat: nunc sensu vtroque de homine; is enim aliquando licite probat, aliquando perperam: pro ratione principii, vnde emanat, & finis, ad quem refertur. Verum eruditi quidam viri, qui sollicitius de hac re cogitarunt, non consistendum esse docent in prima illa, quæ ex natura vocis fluit, & de qua nos hæcenus exposuimus, significatione; sed & secundam aliquam debere attendi, in quam ex usu & arbitrio loquendi in sermonibus, scriptis, scholisque sacris eadem vox transferit; qua tentare idem sit quod decipere, fallere, seducere, ad malum sollicitare, in errorem & peccatum deducere.

§. 24. Omnino res ita se habet. Nec difficile est coniecere, qua ratione fieri potuerit, vt ista notio voci imponeretur. Scilicet quia in notione prima tentare est experimentum capere de aliqua re, vt ipsa cognoscatur; & vero, qui ad malum sollicitat, explorare solet vires & ingenium alterius, quid valeat, quamque in partem propendeat, nec alium explorandi finem constituit, quam vt habeat secum in peccando confortem: hinc factum persuademus nobis, vt in illam alteram significationem vox abierit, atque ad denotandum fallendi & seducendi actum fuerit adhibita, & propterea, ad illam nempe habito respectu, perpetuo in malam partem accipiatur, (manente tamen adhuc prima, ad quam habito respectu, in vtramque partem potest accipi.)

§. 25.

§. 25. Neque vero fundamentum huius rei deest vel in sanctissimo Scripturarum codice, vel in monumentis Patrum. Vnde enim quaeso est, si non ab hac altera significatione est, quod Iacobus diserte a diuina natura tentationis opus abstrahit cap. I, vers. 13. *Nemo cum tentatur, dicat: A Deo tentor; nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam hominem tentat*, hoc est, vt communi omnes consensu interpretantur, neminem ad aliquod malum aut illicitum impellit, neminem probat vt fallat. Eadem quoque est causa, quare Diabolus absolute & κατ' ἑξοχήν, ὁ περιφύζων (quod Participium positum est pro nomine περιφύζης) *tentator*, hoc est, sollicitator ad malum appellatur Matth. IV, 3. & 1. Thess. III, 15. (Vt taceamus alia loca tum de verbo tento, tum de nomine tentatio, quæ mentem nostram stabiliunt.) *Diabolus enim*, ait Chysostron exposit. in Matth. hom. 5. *non habet alium actum, quam tentare, non manducat, non bibit, non dormit, non opus aliud aliquid operatur, nisi vt tentet, vt fallat, vt subuertat: hic est cibus illius, hic honor, hoc & gaudium: propterea indefatigabilis est in malo, & quantum ad se, nunquam cessaret nos tentare, nisi diuina vi repelleretur.* Immo quid aliud sibi volunt ipsa illa nomina Diabolus, Satanas? Sane aduersarii & criminatoris adeo proprium est tentare, vt tentare non possit nisi aduersando, nec criminari nisi tentando, cum ipsa criminatio sit maxima tentatio. Hinc est quod eruditi obseruant, duo ista nomina pluralem numerum in Scriptura non habere, nec fere apud Patres, quia nomina sint tentatoris propria. Hinc etiam, quod in Tertull. Ludouicus de la Cerda animaduertit l. de oratione, c. 8. *A Diaboli malitia est tentatio, Quod qui dicit, Demon tentat, non ita proprie loquitur; sed proprie qui ait, Satan tentat, aut, Diabolus tentat, quia ab hoc actu nomen Diaboli accepit, nempe a prima in paradiso tentatione, vt Iustinus docet in orat. ad gentes.* Neque autem id, quod tentare Diabolo statuatur proprium, accipiendum ita est, quasi non & homines aliquando eodem hoc munere fungantur. Nam quis nescit, haud ideo vel Aristotelem appellari philosophum, vel Tullium dici oratorem, vel Virgilium audire Poetam, quasi nulli præterea fuissent Philosophi, Oratores, Poetæ; sed tantum per antonomasiam & propter excellentiam quandam, quia videlicet illorum in sua quisque arte mirum in modum excelluere, Eodem modo tentare Diabolo proprium acpe-

C

culiare

culiare est, sed tamen excellentiori adhuc multo. Nam quicquid homines tentant, a Diabolo est, saltem quatenus per eius tentationem primam peccatum primo fuit introductum, ex quo resultat omnis & carnis & mundi tentatio.

§. 16. Inter Patres Ambrosius alteram hanc notionem amplius & eximie quidem confirmat, quando manifestum discrimen nunc inter probare & tentare, nunc inter explorare & tentare statuit. Sic in Lucae cap. IV, in illa verba: dixit autem illi (Christo) Diabolus: Si filius Dei es dic lapidi huic ut panis fiat; scribit: *Quid sibi vult talis sermonis exorsus? Si filius Dei es: nisi quia cognouerat Dei filium esse venturum, sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat? Aliud explorantis, aliud tentantis est: & Deo se profitetur credere, & homini conatur illudere. Ac paucis interiectis: In ipsa tentatione artificem Diaboli disce versutiam. Sic tentat, ut exploret: sic explorat, ut tentet. Idem in 2. Cor. XIII, in illa verba: Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate: Tentationem hanc, inquit, probationem voluit Apostolus intelligi, quia omnis probatio tentatio est, non tamen omnis tentatio probatio. Si enim Deus tentare dicitur, probatio est. Si autem Diabolus tentare dicatur, VERI NOMINIS TENTATIO est, quia euertere nititur. Non negat Ambrosius tentare etiam idem esse quod probare, sicque concedit primam significationem, de qua nos a §. 3. vsque ad 21. egimus. Atque adeo nec inficiari potest, secundum illam notionem esse quoque idem quod explorare. Quod autem in priori loco tentationem ab exploratione diserte distinguit, ac in posteriori tentationem statuit, quæ non sit probatio, immo solum Diabolo tentanti, non etiam Deo, veri nominis tentationem attribuit; hoc ipso sane ad aliam quandam significationem intendit. Quæ vero est illa? Respondeat ipse: *illudere, euertere*. Quod si quis autem laboret scire, quid sit, quod, cum Ambrosius in 2. Cor. XIII, omnem tentantis Dei actum, probationem esse docuerit, nihilo tamen minus idem Pater in lib. I. de Abraham Patriarcha, cap. IIX. (de tentatione Abrahamæ, & multiplici eius probatione, in illa verba Gen. XXII, Et factum est post hæc verba, Deus tentauit Abraham) inter probationem & tentationem Dei distinguat, & diserte aliquam Dei tentationem statuatur, quæ non sit probatio, & contra; quid illi erit respondendum? cum & eare simul difficultas quædam, nostrum pre-*

mens

mens argumentum, emergat. Ergone sibi ipsi haud constat Ambrosius? aut quæ tandem alia est ratio? Ut res hæc ponderari atque intelligi rectius possit, totum locum huc transcribemus: *Sanctum Abraham* (Deus) probavit ante, & sic tentavit, ne si ante tentaret quam probasset, gravaret. Probavit eum cum exire de Charra iussit, & obedientem reperit. Probavit cum fidei titulo fretus liberavit nepotem, cum de præda nihil attigit, cum promisit seni filium, & cum esset centum annorum, quamvis Saræ genitalia consideraret emortua, tamen credidit &c. Probavit eum hospitii sedulitate. Probatum igitur, quasi fortiorem tentandum putavit maioribus, & quibusdam imperiis durioribus. Et hic quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis, tentatur autem compositis & fictis. Non enim volebat Deus immolari a patre filium &c. Notum alias est, quod cum Hugone Grotio, Theologi etiam orthodoxi decem Abrahami tentationes enarrare soleant, in quarum numero plerasque eas (reliquis non exclusis) ponunt, quas Ambrosius probationes vocat, ac postremam inter istas decem, ceteris graviorem omnibus, illam de mactando filio constituunt. Et tamen etiam ex mente nostratum Theologorum tum superioris tum præsentis seculi, nominatim Bb. Dd. Lutheri, Chemnitii, Gerhardi, videtur cum Ambrosio hæc vltima solum tentatio Abrahami, non item priores, esse isto nomine appellanda: quod inde licet coniecere, quando adferunt, Deum in casu tentationis aliud velle, aliud significare se velle, hancque esse naturam diuinæ tentationis. Istud vero tantum de ea valet, quam Ambrosius tentationem nuncupat, fierique fictis & compositis dicit. Ut autem propositæ quæstioni fiat satis, ac simul duo illa Ambrosii loca, quæ pugnare secum videntur, inter se concilientur; primo repetimus ex priori in 2. Cor. ubi dicit, etiamsi non omnis tentatio probatio sit, tamen omnem probationem, tentationem esse. Itaque cum dictus Pater in loco altero probationes Abrahami nominat, eas quoque singulas, tentationes esse ac dici vere posse, oportet fateatur, adeoque concedat, probationem fieri quoque fictis, & contra tentationem fieri quoque veris. Quod ipsum Scriptura etiam haud semel testatur; exempli causa Ex. XV, 25. Vbi Deus legitur tentasse populum, leges ferendo & sanciendo, quibus eius obedientiam experiri decreuerat. Quæ sane tentatio non fictis, sed veris est facta. Quemadmodum igitur

tur non inuſitatum eſt, illam quoque actionem Dei vocari tentationem, quæ nullam ſibi adiunctam habet ſimulationem : ita e contrario, communiori & magis uſitata loquendi conſuetudine factum credimus, ut illa fere actio Dei, in qua ſimulate aliquid eſt factum, ad explorandum hominem, nomine tentationis abſolute poſito exprimatutur atque intelligatur. Neque hic uſus in Theologia tantum obtinet de tentatione Dei, verum etiam in Philoſophia, & quidem Logica, immo & in communi vita, de tentatione hominis. Idem uſus ſine dubio eſt cauſa, quod Ambroſius in poſtremo loco tentationem ſolum appellarit, quæ fiat fictis & compositis. Idem etiam effecit, ut Theologi noſtrates, quando Reformatorum diſtinctionem inter voluntatem Dei ſigni & beneplaciti examinant, ſoleant docere, eam ſemper & tantum valere in caſu diuinæ tentationis; non item ubi ſeruo Deus rem agat. Vid. Dn. D. Præſidis Tractatus duplex in Loco prooemiali de Scriptura ſacra & Theologia, pag. 242. ſeqq. item in Loco primo de myſterio SS. Trinitatis, pag. 42. ſeqq. Haſtenus ergo patet, per ea, quæ alibi docet Ambroſius, non inſirmari vim probationis illius, quam idem ſubminiſtrarat pro aſtruenda noſtra ſententia. Quod enim in Cor. a tentante Deo tentationis opus remouet, illique ſolum probationem adſcribit, exinde eſt, quia ibi tentationem veri nominis, hoc eſt, proprie dictam, & quidem eam, quæ eſt in malam partem, intelligit: quam ſignificationem, ex uſu natam, Theologia ſibi propriam habet. Quod vero idem in Gen. tentationem fuiſſe dicit, cum Deus Abrahamo immolationem filii præcepit, non item cum eundem e patria exire iuſſit &c. iſta eſt ratio, quod in illo loco tentationem in alia ſignificatione accipit, partim ex natura vocis orta, partim etiam ex uſu, ſed non proprio Theologiæ, verum & per alias vagante diſciplinam, immo in communi vita frequentiffimo. Et hæc ſignificatio vocis tentatio tam in malam quam bonam poteſt eſſe partem, item tam propria quam impropria, referrique debet ad notionem primam e natura vocis fluentem. Quatenus tamen ſemper ad malum eſt (de Satana) ad ſecundam notionem reduci poteſt, tanquam Theologiæ propria; ſed quam minime intendit Ambroſius loco illo in Gen. De quo pluribus heic mentionem facere oportuit, ne quis ſcrupulus relinqueretur, qui premere poſſet

posset secundam propriam, in qua probanda dudum sumus occupati; significationem.

§. 27. Atque eandem porro e recentiorum quorundam scriptis commonstrare possemus, si opus foret. Vnum saltem, quem iam supra produximus, in partes aduocemus. Est is Tilenus, qui libri §. 16. citati part. II, disp. 51. th. 27. ait: *Tentare proprie conuenit Satanae, qui & propterea ὁ πειράζων dicitur antonomastice. Nam quemadmodum in Θεωρία, syllogismus πειραξινός inducit mentem, ut assentiatur falso: sic in πειράζει, tentatio impellit voluntatem, ut adhaerescat malo.* Idem auctor thesi proxime sequente 38. non ideo tantum negat, Deum proprie tentare, quia non ipse capiat experimentum ratione sui; sed & propterea, quod *neque ad malum, qua tale, impellat quenquam.* Vbi etsi suspectum est τὸ qua tale, cetera tamen id, quod volumus, comprobant.

§. 28. Non difficile nunc est dictu, quid secundum illam loquendi consuetudinem in Scriptura & scriptis ecclesiasticis receptam proprie sit tentatio, & quæ iuxta eandem proprie tentare dicenda sint, quæ autem minus. Prius iam satis patet. Alterum quoque facile potest intelligi. Cum enim hac ratione tentatio nihil sit aliud nisi sollicitatio ad malum ex intentione decipiendi, statim fit perspicuum, duo tantum esse eorum genera, quæ proprie in tentantium numero haberi possint, nempe Diabolum atque hominem: eo quod in hos solos dicta significatio conueniat. Non in Deum: quia nullo modo intendit decipere. Non in carnem: quia non ex intentione tentat, ut supra §. 12. fuit ostensum, adeoque nec ex intentione decipiendi. Non in mundum: ob eandem rationem. At Diabolus tentat semper ut decipiat. Homo tentat sæpe ut decipiat. Vbi tamen adhuc tale discrimen debet constitui, quod, si respectus habeatur ad hanc alteram significationem, caro & mundus dicendi sint tentare improprie, Deus nec proprie nec improprie: illi, quia ad malum sollicitant quidem, non tamen ex intentione hic, quia neutrum facit. An autem illi quoque Reformati sanctissimum Deum isto modo tentantem faciant, qui exempli causa docent, *Deum vere, non mere euentualiter & permissiue indurare, etiam cum intentione hoc sensu indurandi;* ut recens admodum inter eos doctor in collegio manuscripto contra Lutheranos quæst. XIII, docuit; dis-

quirere peropportunum heic foret, nisi, quia ad finem properamus, hoc labore supersedendum in præsentī esset. Ferri tamen facile de re ista potest iudicium ex iis, quæ Dn. D. Præses in Theologia sua memoriali, parte II, Loco IX de mysterio Conuersionis, pag. 826. seqq. est persecutus: vbi dicti auctoris Reformati memoratum dogma examinat & refutat.

§. 29. Vnum est super, de quo dispiciendum venit, vtrum videlicet posterior significatio propria vocis tentatio, priorem eius significationem propriam semper includat, an vero semper excludat, aut denique an eandem pro varietate casuum nunc includat nunc excludat. Prima huius quæstionis pars Holdsvorthi placet: ex cuius adeo mente duæ sunt proprietates, quæ naturam prauæ tentationis constituent, intentio experiendi & intentio decipiendi siue ad peccatum trahendi. Qui & in libro locoque supra §. 22. allegato ait: *In duabus istis (intelligit geminam illam intentionem) ipsa tentationis quidditas & essentia consistit, & tam necessario &c.* Secundam quæstionis partem Ambrosius videtur amplecti, cum loco sub initium §. 26. citato scribit: *Aliud explorantis, aliud tentantis est.* Ac iterum: *Sic tentat Diabolus, vt exploret: sic explorat, vt tentet.* In quibus verbis prima significatio, quæ nihil aliud est quam explorare, expresse ab altera distinguitur. Tertiam denique quæstionis partem qui elegerit, nemo iam succurrit. Quin tamen nos ipsi eidem subscriberemus, abesset parum, nisi Patris retineret auctoritas. Namque opinio Holdsvorthi quo minus locum habeat, ipse vetat Holdsvorthus, quando profitetur, *Diabolus tentare sepe ad cognoscendum, non semper, tamen semper ad decipiendum.* Largimur id Holdsvorthi, Diabolū sæpius in tentatione geminum finem sibi habere propositum, vnum immediatum & proximum, qui est cognitio, alterum remotiorem atque vltimum, non tamen absolute ac simpliciter vltimum, nempe seductionem siue deceptionem: simul tamen cum eodem affirmamus, priorem finem sæpe a Diabolo prorsus haud designari. Iam si tentator ille aliquando non tentat eo fine, vt cognoscat, quia iam ante satis cognouit, nec vero dicere fortassis licet, eum, quando solum decipiendi atque ad peccatum trahendi, non simul cognoscendi gratia tentat, minus proprie tentare; in promptu est colligere, Holdsvorthum perperam ita statuisse, quod ambæ illæ in-
ten-

tentiones naturam tentationis constituent. Ceterum idem nobis fuerit, siue quis sentire cum Ambrosio velit, atque explorationem solum tanquam aliquid, quod adiunctum sæpe tentationi sit, statuere: siue cui magis placeat, tentationem ab exploratione abstrahere, quam tamen nunc includat nunc excludat.

§. 30. Ita si non omni, aliquo saltem modo satisfactum iis credimus, quæ §. 2. eramus polliciti. Quod si autem cuipiam, titulo atque inscriptioni dissertationis nondum plane videatur respondere ista geminæ significationis explicatio, cum facies fere totam rei formam denotare soleat; addemus quædam, sed breuissime, de singulis causis (nam hæc sine dubio faciem optime declarant) diuinæ & diabolicæ tentationis: quo exinde gemina tentationis, vna bonæ, altera malæ, facies plenius appareat. Postea, ne speculationem sectemur solam, atque vt amplior disputandi suppetat materia, adiiciemus quædam præcipue de tentationum diiudicatione, & de armis tentanti Diabolo opponendis.

§. 31. Tentatio diuina quas causas habeat, breuissime indicabimus. Diuina dicitur ab *auctore* Deo, qui nunc immediate tentat Gen. XXII, nunc mediate. Mediate tentat Deus vel per angelum, eumque aut bonum 2. Sam. XXIV, aut malum Iob. I, II. vel per hominem huncque itidem aut bonum Ex. XV, XVI. aut malum 2. Sam. XVI. vel per res alias, easque aut animatas Ex. IIX. aut inanimatas Gen. VII, XIX. Ex. IX. Tentatio autem hæc, cuius causa efficiens Deus est, a nonnullis tentatio actiua Dei appellata, probe est discernenda a diuina permissione tentationis cuiusdam, quam aliqui tentationem Dei permisiuam nuncupant: vbi permissio illa non est actio positiva: nihilominus tamen Scriptura aliquoties Deum, quando saltem permisit tentationem, tentasse dicit. Vid. duo loca §. 5. allata. *Subiectum* tentationis diuinæ est vel credens isque fide aut infirma, aut modica, aut magna credens: vel non credens, isque aut crediturus aut minime. (Vt nihil nunc de subiecto quo dicamus.) Secundum hanc subiectorum diuersitatem certi sunt *gradus* tentationum Dei, infirmis non ita magnas, at perfectioribus maiores tentationes immittentis. Sic parens ille Marc. IX modice duntaxat tentabatur: regius Io. IV tractatur durius: Chanaanæ Matth. XV durissime. Iuxta eandem subiectorum
seriem

seriem *fines* sunt constituendi. In genere finis, cur Deus credentes aut credituros tentet, est spiritualis eorum salus, & aliorum quoque emolumentum. In specie non credentes nec credituros ideo probat Deus, ut peccata ipsorum vindicentur, & similes alii, exemplo hoc edocti, a vitiis deterreantur atque abstineant, boni autem iustitiam Dei agnoscant ac prædicent. Sæpe etiam hoc intendit Deus, ut simulata illorum virtus aut dissimulata improbitas retegatur, & fallere amplius haud possit. Non credentes sed credituros: ut peccare desinant & conuertantur, siue in iis fides accendatur: quibus tamen simul in poenam peccatorum est tentatio: sed & respectu aliorum vel maiorum vel bonorum idem fere de his, quod de superioribus, valet. Credentes fide infirma, si non sint noti sibi: ut detegatur fidei infirmitas, suamque illi hanc imbecillitatem agnoscant, & diuina virtute implorata, eorum fides augeatur ac vita emendetur. Si vero sint noti sibi: ut eorum infirma fides exerceatur atque augeatur. Neque omnis heic, maxime a prioribus, abest poena, eaque abolitoria (ut ita loquamur) vitiosi humoris, qui est in iis residuus, ne amplius regnet. Credentes fide modica: ut fides in iis exerceatur & perficiatur: de quibus præterea ex parte valet, quod de proximis dicitur. Denique credentes fide magna: ut ea exerceatur & confirmetur, simulque vel, ut detegatur robur & firmitas, quam sibi adscribere non fuissent ausi; vel, si noti sibi utcunque sint, ut aliis exponantur eorum dotes, atque illis exempla fiant insignis alicuius virtutis, ut Iobus patientiæ, Abrahamus fidei & obedientiæ, Iosephus castitatis, Martyres omnes inuictæ fortitudinis & constantiæ. Nam, quod de fide diximus, idem de ceteris actibus pietatis & virtutibus, cum fide arctissime connexis, dictum nos simul velle, facile potest iudicari. Ceterum & credentibus singulis, qui a Deo tentantur, communis statui debet finis priuatius, nempe remedium peccati. vid. 1. Petr. IV, 1. Tandem finis vltimus ratione credentium & crediturorum est æterna salus. Ita fines respectu eorum, qui tentantur, & aliorum fere significauimus. Respectu ipsius Dei finis est sapientiæ, potentiæ, bonitatis, ac iustitiæ eius manifestatio & gloria. *Obiectum* diuinæ tentationis est vel verbum, ut præcepti Gen. XXII. Ex. XV. item interrogatio &c. vel res, eaque aut bonum, aut malum quid: vtrumque rursus aut spirituale (abundantia & defectus verbi) aut corporale
siue

sive externum, idque aut corporis aut fortunæ: quo & animi quædam bona vel mala referri possunt. Malum spirituale turpe potest etiam esse obiectum diuinæ tentationis, at non ut malum turpe, sed ut pœnæ sive triste malum, Vid. 2. Sam. XV, XVI. Nondum autem omnia nos obiecta capitulatim recensuisse, libenter agnoscimus, plura dari largientes sub illis non comprehensa, e. gr. moram & omissionem auxilii &c. nisi hæc forte ad corporis aut fortunæ malum sint referenda. *Formam* tentatio non habet, quia est accidens, adeoque ipsa forma. Interim si forma, ut in præcticis disciplinis fit, modum rei denotet, tentationis formam singulæ eius causæ simul sumptæ constituent. *Causa impulsiva interna* diuinæ tentationis respectu piorum est diuina bonitas, sæpe non exclusa iustitia: respectu impiorum est iustitia vindicatiua, quæ tamen, si conuertendos spectes, adhuc stat cum bonitate: immo isthic non tam iustitia, quam bonitas locum habet. Quin & ceterorum, h. e. non conuertendorum ratione videretur Deus simul bonitatis actum exercere, quatenus nempe adhuc ipsorum vult salutem. *Impulsiva externa* respectu non credentium, sunt peccata: respectu credentium, humana infirmitas &c. De effectu nihil opus est addi quicquam, cum finis obtentus, ipse sit effectus, & de fine iam ante exposuerimus. Quæ de *mensura* dici possent, quod Deus suos probet secundum vires eorum, media viribus attemperans, tantum mittens quantum quisque ferre valet; ad gradus pertinent, quorum itidem supra mentionem fecimus.

§. 32. Pauca item de tentationis diabolicæ causis & circumstantiis aliis præcipiemus, quo facies eius agnosci facilius possit. Diabolus itidem causa *efficiens* tentationis vel immediata est vel mediata: mediata nunc per hominem, nunc per carnem nostram, nunc per alias res, aut animatas aut inanimatas. Quod ad modum operandi attinet, quem in prima omnium tentatione obseruauit, seruat fere semper, rem, quæ ad peccandum inuitet, homini obiciens, & argumenta, quibus quemque ad consensum pertrahat, adducens. (Alias & sanguinem commouendo affectus inflammare solet.) Prius vel per exteriores fit sensus, vel immediate in phantasia. An autem & intellectui immediate obiciat aut obicere rem possit, non conuenit inter eruditos.

D

De

De posteriori, sicut e. gr. Rhetores persuasuri quid alicui, communiter utuntur argumentis tribus: a necessario, honesto, utili; ita idem artificium Satanas solet adhibere, ut in Christo 1. a necessario: exprobrat famem. Eodem argumento Saulem tacente diuino oraculo ad pythonissam adegit. 2. ab honesto & glorioso: si te per Arem dederis præcipitem, cuilibet eris miraculo. 3. ab utili: hæc omnia tibi dabo. Hoc argumento Satanas multos peruincit. Ita seduxit Euam, Ananiam, Iudam. Alia argumentorum genera nunc tacemus. Quia & ipso verbo Dei eadem hac in re uti solet. Pertinet ad hanc de efficiente doctrinam, quod Gregorius 5. moral. 17. scribit: *Diabolus modo sicut est perditus, se humanis sensibus obiicit, modo quasi angelum lucis ostendit, modo stultorum mentibus blandiendo persuadet, modo ad culpam terrendo pertrahit, modo suadere vitia a parte nititur, modo in suggestionibus suis sub virtutis specie palliatur. Finis diabolicæ tentationis in genere est malum: speciatim in errore aut peccatum lapsus. Vltimus: æterna damnatio. Quomodo interdum etiam ad bonum tentet Satanas, infra apparebit. Subiectum sunt pii atque impii, illi tamen potissimum (ob maius odium Diaboli) & quo magis quis pius est, eo magis ab eo tentationibus vexatur, ut Iob, David, Paulus. Obiecta tot sunt, ut enumerari haud queant. Tantum dicimus esse vel personale vel reale. Iam porro existimari potest, quam late personæ & res patent, tam late etiam obiecta illa patere. B. Glasius in libello de spiritualibus tentationibus Germanice conscripto, pag. 36. fatetur, ipsarum obiecta tam varia esse, ut in certas classes vix queant redigi. Nihilominus id conatur facere, & secundum tres veræ poenitentiae partes (nouam obedientiam ex quorundam aliorum mente tertiam constituens) in ordinem reducit. Qui ibidem a pag. 36. vsque ad pag. 56. consulatur. De forma tentationis huius habendum idem, quod §. præcedente de forma diximus. *Impulsiva interna* est odium Satanae aduersus Deum & homines. *Externa* Dei amor in homines & status horum melior præ statu Diaboli. Addi nunc causis possunt gradus, tempus, locus &c. Diabolum gradus tentationum obseruare, Iobi exemplum probat, cui, ut Gregorius ait 2. moral. 15. *a minimis incipiens, in vltimum grauiora nuncianit.* Idem & gradus peccatorum obser-*

obseruare solet, primum ad parua, mox ad grauiora, & tandem ad maxima sollicitans. id quod demonstrauit in Israelitis Num. XXV. Salomoni. Reg. XI. Achabo 1. Reg. XVI. Christo Matth. IV. Iuda Ischariotha: de quo vid. Brentius in Luc. XXII, 3. *Quando tentat Diabolus? Nunquam securi esse possumus. Non solum interdiu, sed noctu etiam circuit. Matth. XIII, 25. In morbis vel maxime tentat. Summa tamen omnium tentatio restat homini in vltima mortis hora. Vbi? Nullibi sumus tuti. Non enim locus pellit Satanam, dicit Gregorius M. l. 8. ep. 45. Sape cum homo solus, tentatione eum infestat. Ita solitarius aggressus est Euam, Cainum, Lothum, Dauidem, Amnonem, Christum. Quamdiu? Vsque ad finem vitæ: non tamen credentes in vltimo fidei finalis articulo. Tandem enim omnes hostes redigentur sub pedes Christi & ipsorum. 1. Cor. XV. An aliquid, quomodo, & quantum Deo in Diaboli tentationibus tribui oporteat, non vacat expendere. Vid. hac de re Aegidius Hunnius in Io. VI. Hoc solum dicimus, quia nunquam tentat Diabolus, nisi permittente Deo, ratione huius diuinæ permissionis plerasque causas habere locum, quæ tanquam causæ tentationis diuinæ & superiori sunt enarratæ. De Domino nostro Iesu Christo id monendum hoc loco, nos in causis tentationum Dei & Diaboli hætenus tradendis ipsum plane non respexisse: quod si fecissemus, passim aliqua vel mutari vel adici debuissent.*

§. 33. His summatim perstrictis ad vltima contendimus. *Non est dubitandum, ait Augustinus tract. 55. in Ioan. a bono Spiritu bonas suggestiones fieri, sicut a malo malas. Tam consideratu vtile ac scitu necessarium est, quibus notis a tentatione interna, carnis aut Diaboli, instinctus diuinus possit aut debeat secerni. Qua in re sæpe est difficile iudicari, quia nonnunquam inter bonos & malos motus maxima intercedit similitudo. Pertinent huc, quæ B. D. Gerhardus Harm. Euang. cap. 168. de obsessione spirituali scribit: *Hæc obsessio, inquiens, tam subtilis est, vt tum illi, quos occupat, tum alii quandoque iudicent ab impulsu Spiritus sancti ea proficisci, quæ spiritualem obsessionem Satanicam consequuntur: vt appareat in pertinacium hæreticorum exemplo. Quod primo solius Dei sit proprium, illabi in animam nostram, Diabolus autem immediate se ipsi insinuare haud possit, & caro tam vi-**



cina quidem ei sit, atque est ipsa sibi, Deus tamen intimius in operando adsit: *secundo* maiorem Deus potestatem in animam habeat, quam caro aut Satanus, cum hi tantum suadendo & alliciendo pulsent, Deus vero non tantum suadeat, sed perficiat id quod suadet; ex his inter alia signis, nempe propinquitate motoris & efficacia motus de ipsius motus qualitate iudicandum aliqui censent. Ac de regenerata mente concedimus, eam, etsi non semper indubitata, inde viam dignoscendi posse petere. Alias proclive nimis est in istis, si attendantur sola, decipi, & praesentiam non intimam, intimam, item quamlibet operationem vehementem, efficacem & summam existimare. Manifestius est signum *tertium*, dulcedo & suauitas. Hinc de matre sua testatur Augustinus Confes. l. 6. c. 13. eam dicere solitam, *discernere se posse vel ipso sapore, quem verbis explicare nequiret, quid interesset inter Deum reuelantem & animam suam somniantem*; & de sanctis aliis Gregorius lib. 4. Dial. cap. 48. *solere sanctos viros inter illusiones & reuelationes quodam intimo sapore discernere, & exinde scire quid a bono Spiritu percipiant, quid ab illusore patiantur*. Vbi quidem ea, quae dicuntur de reuelante Deo & reuelationibus, non accipimus aliter, quam de veris & iucundissimis fidei, spei, & dilectionis motibus, quos Spiritus Sanctus per verbum auditum lectumve in voluntate & corde excitat. Ac de sanctis certum, eos facile videre & gustare, quantum intersit inter amoenitates caeli & tentationum blanditias, cum haec fallaces sint ac tumultuosae, illae sincerae ac solidae: istae *amaritudine digeruntur*, per illas amara cuncta *dulcorentur*; vt Augustini verbis vtamur, Ceteris, maxime qui veram sibi fidem falso tribuunt, nihil contingit crebrius, quam vt falsam dulcedinem, credant esse veram. *Quarto* etiam ab obiecto, quod bonum aut malum est, trahi certiora possunt indicia. Norunt omnes bonorum & malorum genera, quod aliud sit verum, aliud apparens, verum vel certum vel ambiguum, certum vel simpliciter vel propter aliud, simpliciter tale vel ex genere vel ex circumstantiis. Iam spiritus sancti instinctus semper est de bono vero, certo (nunquam, aut rarissime de ambiguo) simpliciter, nobis, ex genere, & integro. Igitur tentatio erit semper ad malum, aut si ad bonum, erit vel apparens, vel dubium, vel non nobis bonum, vel mutilum siue

bonum

bonum per mala media atque in malum finem. Pluribus declarari hæc singula debebant : sed tempus non patitur. Ac iam prope longiores fuimus, quam institueramus. Ardua magis est quæstio, si porro velimus scire, quæ sit inter Diaboli & carnis suggestiones distinctionis ratio. Ardua magis, quam superior, ideo, quia facilius bonum a malo quam a malo malum secernitur. In primis autem res difficillima euadit tum, cum ambo illi hostes sociatis viribus nos oppugnant. Testatur id Ambrosius, in Rom. VII. scribens : *Nonnunquam adeo secrete se copulat menti Diabolus, ut non possit homo agnoscere quid suum sit in cogitatione, quid illius.* Verum hanc quæstionem proponere tantum voluimus. Addimus item hoc de tentatione diuina, istam interdum ibi habere locum, vbi haud facile tibi persuasisses. Ita diuina vocatio nonnunquam reuera non est vocatio, sed tentatio. Fungatur enim aliquis in loco celebri per am- plo munere, & alio vocetur ad officium, de quo ipse nihil vnquam sciuerat, nec etiam ibi de se quicquam auditum vnquam fuisse crediderat; quod tamen officium vel splendidius, vel, si rem spectes, multo sit lautius. Ponamus, Deum non reuera velle, vt tale munus ab eo acceptetur, sed vnice probationem vnus aut plurium istius viri virtutum aliorumque simul exinde vsum intendere. Sic sane tentatio Dei erit, re ipsa nulla vocatio. Ac eiusmodi casus quandoque euenire, nulli dubitamus, exemplo idem edocti. Quapropter in vocationis diuinæ casu singularis adhiberi cautio debet, ne, quod aduersus Dei voluntatem est, secundum ipsam nos facere opinemur. Nunc imponendus labori finis est. Deum omni prece oramus, vt nobis det *in omni tentatione peruincere per eum, qui nos dilexit Rom. IIX. 37.*

SOLI DEO GLORIA.



D 3

Quam



Uam pulchra facie tentatio dia resplendet ;
Tam male deformi praua colore micat.
Attamen est pulcrum pernoscere rectius
ambas ,
Quæ bona dia ferat : quæ mala praua
vehat.

Hæc Te animo , VVeichmanne, Tuo vol-
uisse , probamus :

Nam sic ad praxin corda probanda paras,
Non autem satis est & scire & scribere recte :
Vincere in hoc actu præmia summa dabit,
Vincere tentantes omnes prauosque bonumque
Hoc Tibi perpulcrum comprecator artis opus.

*Clare docto & Eximio DNO Auctori Responsuro, Amico singu-
lariter dilecto honoratissimoque , Auditori per quinquen-
nium priuato ac priuatissimo, constanti, sedulo, gratissimo ,
DEOS VIALES propitios PATRONOS QVE in vota
faciles toto animi adfectu cum omnigena prosperitatis vo-
to adprecatus scribeb.*

PRAESES.

AD

AD BENEVOLVM LECTOREM AVCTOR.



*V*m primum vere superiori apud me constituissem, exercitio quodam publico ingenii probare vires; nescio qui factum sit, ut circumspicientis de utili ac memoria digno argumento animus tota mox cogitatione in hanc de tentatione materiam ferretur, atque illi penitus inhaereret. Ita euenit tamen, ut, qui & tentare me ipse domi cupiebam in explicando themate quodam Theologico, & tentari ab aliis publice, volebam in eodem propugnando; de ipsa tentatione sumserim meditandum ac scribendum. Atqui haud multo post, cum altius in rem istam coepi inquirere, nimiam eius ac prope infinitam videns amplitudinem, desperavi prorsus facultati meae, quicquam lectione dignum de eadem commentandi. Namque ita cogitabam: Si de singulis, quae heic occurrunt, scribere instituam, omittenda erunt quam plurima: si vero generatim atque vniuerse velim differere, nihil dicetur de singulis, quae tamen potissimum utilitatis causa tale studium desiderant. Ista me animo voluerentem, atque in omnes versantem partes erexit, id quod humili obseruantia agnosco & deprecico, maxime reuerendus, amplissimus atque excellentissimus Dn. D. P. res, Dominus, Patronus, Praeceptor & Hospes meus summe ac demisse venerandus, mihi que auctor fuit; ut in complures dissertationes hunc latissime patentem de tentatione locum dispertirem, atque vna de sumtibus illi impendendis rei se prospecturum, liberalissime recepit. Accepi gratissima animi deuotione & datum fidele consilium & oblatum singulare beneficium, meque, Eiusdem auxilio vtens, ad operam omni studio accinxi, ea ita diuisa, ut disserta-
tione

tione prima tanquam praliminari tantum exponerem de significatione vocis vna aut pluribus, & definitione in genere: in reliquis autem primo distinctiones generales ac specierum definitiones traderem: deinde causas cuiusque speciei inuestigarem, & sacris litteris probarem, exemplis illustrarem &c. deniq; in necessaria praxi, qua potissima pariter atque amplissima pars erat, desinerem. Alia, itidem adiungenda, praetereo. Iam autem, postquam ex hac Musarum celeberrima nutrice, qua nunc quinquennio & amplius benignissimo suo me fouit sinu, in Dei nomine alio propediem abire decreui; labor iste susceptus statim in principio interrumpitur. Neque tamen eo minus, maxime reuerendo Dn. D. Praesidi, non sine honore summo iterum nominando, quod animu & consilia dedit ad subeundum, opem & subsidia promisit ad conficiendum, atque in presenti dissertatione tum hac tum illam cumulatissime praestitit, gratias ingentes & debeo & habeo, hisque etiam litteris ago, istam benignitatem vna cum reliquis toto illo tempore, quod heic viuo, plurimis maximisque in me collatis beneficiis immortalitradens memoria. Itaque abitu meo constituto prima solum exit dissertatio: qua tamen ne sterilis tota foret, ex iis, qua sequi in ceteris debebant, breuiter aliqua excerpsti, praecipue de temptationis diuinae, & diabolicae causis. Cum autem & dissertatio ista haec festinanda nimium, & reliqua ei annexa ante, quam ceteras huius doctrina partes, e quibus desumpta sunt, peruestigare licuit, subitanea fuerint opera procudenda: quare Te, Lector beneuole, etiam atque etiam rogo, ut iam illius quam horum ruditati pro humanitate & candore tuo ignoscas, mibique faueas, felicem discessum a Domino simul apprecatus: cui Te vicissim ex animo commendo.

153094

AB 153 094

3
ULB Halle
003 251 438


56

VD 77





Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
GEMINAM
TENTATIONIS
FACIEM

depingens

Quam
in Alma Salana

PRAESIDE

DN. VALENTINO VELTHEMIO

SS. THEOL. DOCTORE, EIVSDEMQUE
PROFESSORE PVBL. ORDINARIO

*Domino, Patrono, Praeceptore ac Hospite suo
summa cum obseruantia colendo*

A. D. XXVII IVNII

cl^o Ioc XCI

H. L. Q. C.

publice tuebitur

FRIDERICVS VVEICHMANNVS

Adelibfſia Hannoueranus
AVCTOR.

LITTERIS S. A. MVLLERI.

